



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Brevis Expositio Propositionum Damnatarum

Didacus <ab Aragonia>

Venetiis, 1728

Dolor.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42653

riorem , ac deteriorem , aut ne Deum amplius offendamus , aut ne diu exulemus à Patria , dicendo cum Psalmista : *Hei mihi , quia incolatus meus prolongatus est , & cum Apost. cupio dissolvi & esse cum Christo ; sic enim effulget bonum præponderans .*

214. Sequitur ultimò , quod licet laudabile sit velle , quod juxta altissimos Dei fines omnia disponantur , adorando inscrutabili ejus consilia ; non possumus tamen velle mortem proximi cum nostro temporali emolumento connexam etiam si Deus illam velit ob altissimos fines suos , quia hujusmodi affectus conditionati sunt revera peccaminosi , cum practicè magis orientur ex affectus erga emolumentum temporale , & ex odio de vita proximi impediente nobis affectionem illius boni , quam ex effectum erga divina consilia , quibus omnia ad fines altissimos ordinantur .

D O L O R.

215 **Q**uæritur . Quænam opiniones excludendæ sint à praxi circa dolorem requisitum ad Sacramentum pœnitentiæ ?

Resp. Cum dolor de peccatis sit pars essentialis Saeramenti pœnitentiæ , opiniones , quæ circumferuntur circa dolorem requisitum ad hoc Sacramentum ; versantur circa valorem Sacramenti ; cum Sacramentum sine sua parte essentiali non possit esse validum ; ex quibus opinionibus probabilibus illa , quæ negat valorem Sacramenti , pro praxi tutior est , & quæ affirmat , minus tutæ .

D U E .